



maior erit re-
liquo AKE ,
& idcirco a-
strū in O exi-
stens, & ex
cōsequenti in
puncto H ,
maiorē habebit diuersi-
tate aspectus
quam in pun-
cto K . Quare

constat, astrū quodcumq; vicinū existens Horizonti maiorem habere diuersitatem aspectus. Rursus existat aliquod astrum in Horizonte, nempe in G , & aliud in eodem cælo in puncto L , supra Horizontē; & producat̄ Horizon GB , usq; ad R & connectantur rectæ AG , AR , AL , BL , LR ; eruntq; (per 4. propos. primi Eucl.) duo anguli AGB , ARB , æquales; sed angulus ARB , maior est angulo ALB , (quod quidē eodem pacto demonstrari potest, quemadmodū ostensum fuit, angulum AOB maiorem esse angulo AKB) igitur & angulus AGB , maior erit eodem angulo ALB , & propterea astrum in Horizonte existens maximā habebit diuersitatem aspectus. Eadem enim ratione demonstrabitur, angulum AGB , maiore esse quocumq; alio. Facile autem perspicias, astrum in puncto M existens nullam habere diuersitatem aspectus, cum idem sit eius locus visus & verus. Rursus ex eadem figura colligitur, inter duo astra, quæ eūdem verū locum habent, vel visū, illud, quod centro terræ propinquius extiterit, maiorem habere diuersitatem aspectus: Nam astra F & G , siue R & Q , habent eundē visum locum S ; Verus aut locus astri F , vel Q , est T ; astri autem G , vel R , est V ; ubi manifeste cernitur S V , diuersitatem aspectus astri G , vel R , quoniā propinquius centro terre existit, maiorem esse arcu ST , nimirum diuersitate aspectus astri F vel Q , quod magis a centro terræ recedit; Idem quoq; cernitur in astris P & O ; Item L et K ; Item I , & H , quorum omnium verus locus ostenditur per punctum S . Ex his igitur ita declaratis perspicue intelligitur prima hæc via desumpta ex diuersitate